



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LIII. Juris Venandi, quod tuetur Communitas Religiosa contra
Principem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM LIIL.

In Cauſa Controverſi Juris Venandi.

SUMMARIUM.

1. ſeqq. Facti Species.
7. Dubitant aliqui, an Jus venandi ſit inter Regalia.
8. Certè non aliter concedi poteſt, niſi ſalvo Jure tertii.
9. Quale etiam habere poſſunt privati.
10. Aſſeritur Jus venandi Collegio Bruntrutano.
11. Inſtrumentum Notarii plenam fidem facit.
12. Confefſio propria eſt optima probatio.
13. Etiam extrajudicialis.
14. Jus venandi obtineri poteſt per præſcriptionem.
15. Etiam privativè ad excludendum Principem.
16. ſeqq. Etiam abſque Titulo, ſi detur poſſeſſio immemorialis.
20. Actus contrarii non ſemper interrumpunt poſſeſſionem Civilem.
21. ſeqq. Proponuntur varia via Cauſam iſtam tuendi.
28. Reſpondetur ad Argumenta oppoſita.
29. Jura Eccleſiarum negligi non poſſunt.
30. Appellatio eſt ſpecies Defenſionis iſta.

FACTI SPECIES.

I.



Anno 1593. ad instantiam Celsissimi, ac Reverendissimi S. R. I. Principis, & Episcopi Basileensis Joannis Christophori Blarer Collegio Societatis JESU Bruntruti, cujus ipse Fundator extitit, pro parte Fundationis, auctoritate Papæ Clementis VIII. ut patet ex ejus Bulla eodem Anno 3. Cal. Maij super hoc emanatâ, cum omnibus Juribus, & pertinentiis eidem annexis incorporatum est Prædium Miseracense, ubi olim Prioratus erat alterius Ordinis Religioſi, sed tunc curâ, & Conventu carens. Prædium huic à tempore, memoriâ hominum excedente, competiit Jus venandi in Sylva ad id Prædium pertinente, exercueruntque hoc Jus Possessores dicti Prioratus, seu Prædii ante quadringentos, & amplius annos cum exclusione omnium aliorum, ut patet ex Recognitione, nomine, & auctoritate Episcopi tunc existentis factâ per Georgium Amiot Notarium publicum Anno 1470. Erexit iste super hoc puncto Instrumentum publicum, ubi Formalia: *Monticulus Miseracensis - - - spectat ad Dominium Alcum, & Bassum Prioris Miseracensis, ita ut omnis Venator, vel lignifeca, in illo deprehensus, subjaceat multâ Prioris, quemadmodum constat ex Actis, & Recognitionibus Arbitrorum* (seu Judicum, qui in his terris de limitibus, & itineribus decernunt) vulgò *Prudens homines, qui & ipsi Jura ista semper fuisse in usu à tempore, memoriâ hominum excedente, coram me Notario testati sunt.*

2.

Post Incorporationem hujus Prioratus, seu Prædii factam in favorem Collegii Bruntrutani, bis iterum examinata res ista est, & primò quidem jussu suprâ dicti Celsissimi

R. P. Schmalzgruber Consil. Tom. I.

Fundatoris per Henricum Gindre, & Henricum Farine Anno 1597. alterâ per Dominum Joannem Ludovicum Choulat jussu Celsissimi, & Reverendissimi Principis, & Episcopi Joannis Francisci à Schönau An. 1656. ubi idem Jus venandi adjudicatum Collegio, Prædii hujus Possessori est. In priori Recognitione exprimitur per Formalia: *Eodem Jure gaudet Mons Miseracensis - - - uti & silva cum omnibus spectantibus ad illam; & omnes, qui venantur, aut ligna cadunt in illa, puniri possunt 60. assibus, qui pertinent ex integro ad Dominum Priorem, seu Possessorem dicti loci Miseræ, & non ad alium: quæ Formalia ad verbum repetuntur in posteriore Recognitione. Sicque factum, ut dictum Collegium per suos famulos continuaret exercitium hujus Juris ad hæc usque tempora, absque omni contradictione usque dum Anno præterito idem Jus in Controversiam vocatum est.*

Occasionem dedit Famulus, quem Miseraci Collegium habet. Hic, cum venatus esset in Sylva Miseracensi, illâ egressus cum felopeto transit per agros Miessterfenses, deprehensusque ibidem à Venatore Principis, accusatus est apud Commissarios Aquarum, & silvarum, ut vocant, ob venationem in dicta silva exercitam sæpius: ob quam causam etiam dictata est ipsi multa decem Librarum Basileensium. Reclamavit quidem Advocatus, quem pro defensione sua accipit hic famulus, seu Villicus Collegii, contra istam sententiam, atque ut Clientem suum defenderet, exhibuit Copiam super Jure Venationis competentis Collegio in dicto Prioratu, petiitque, ut Sententiæ executionem interea suspenderent Commissarii, dum Collegium doceret de suis Juribus. Sed nihil profectum, pendendâque Villico, nullâ oppositione attentâ, fuit, quæ dictata est ipsi, multa.

Cccc 2

Cum

4.

Cum istud pugnaret contra Jura Collegii, R. P. Rector accessit Celsissimum Episcopum, & Reverendissimum ejus Coadjutorem, deque Sententia hac apud istos conquestus est. Reposuerunt isti, facturos se, ut examinentur nostra Jura, neque passuros, ut in illorum præjudicium quidpiam statuatur. Post aliquot dies, cum nullum ex Aula daretur Responsum, quod tamen promissit Celsissimus, & laberentur Fatalia, interponendæ Appellationi præscripta, præsentatus est Celsissimo supplicis Libellus, in quo rogabatur, dignaretur in Jus nostrum inquirere, & rem totam absque strepitu forensi componere, interea autem, dum hoc fieret, prorogare Fatalia, in eum finem, ut si amicablem componi res ista non possit, adhuc locus esset Beneficio Appellationis interponendæ ad Consilium Aulicum pro recipienda ibidem Justitia.

5.

Videbatur Celsissimus Libellum hunc elementer recepisse, qui etiam promissit, se alterâ mox die responsurum. Cum verò post plures dies nullum daretur responsum, & ultimus Fatalium dies illuxisset, coactum se vidit Collegium, ut actu ipso appellaret ad Tribunal competens, eâ maxime de causa, ut, cum triginta dies ab insinuata Appellatione ad eam prosequendam liberi relinquantur, tempus suppeteret de re hac consultandi. Pro more Bruntruti usitato appellandum esset ad Consilium Aulicum Principis, & coram hoc agitari etiam Causam hanc vult ipse Princeps. Certum tamen existimant esse Patres, ab hoc Consilio condemnatum iri Collegium, simulque timent, cum Jure venandi successu temporis perditum iri cætera Jura: quo fiet, ut Prædium Miseracense altero tanto minoris sit vulturum. Hinc existimant, si Jura sua tueri velit Collegium, aliud non superesse remedium, quam ut appellet vel Viennam ad Consilium Imperiale Aulicum, vel Wezlarium ad Cameram Imperialem.

6.

Dissuadet Appellationem hanc Principis Minister primarius, instatque, ne tergiversetur Jus hoc Celsissimo proprium agnoscere, assecurando, omnia alia Jura, quæ in Prædio isto Collegium habet, mansura ipsi intacta, seque obtenturum à Principe, ut iste scripto super istis securitatem præstet. Cùmque peteretur tantilla mora temporis, donec de re ista informaretur R. P. Provincia Præses, reposuit, à Celsissimo Jus venandi in silva Quæstionis non peti pro gratia, ut cessione sit opus, sed exigi tanquam Jus sibi competens: & hinc nisi consentiamus, incursum iri à Collegio gravissimam offensam Principis cum incomparabiliter majori damno, quam sit lucrum, quod valde exiguum, propria confessione, ex Venatione reportat Collegium. Præcipua fundamenta, quæ idem Minister pro Principe contra Collegium affert, sunt maxime ista, I. Quia Princeps est supremus Dominus,

Rationes
Dubitandi.

& Jus venandi annumeratur Regalibus Principis, quod proinde non potest competere alteri, nec concedi, nisi ab Imperatore, Hinc 2. Licet Prioratus Miseracensis cum omnibus Juribus, & pertinentiis incorporatus pro parte Foundationis sit Collegio autoritate Pontificis, cum eodem Prioratu tamen eâ autoritate Jus venandi ad idem Collegium transmitti non potuit, præsertim, quia 3. Princeps est in Possessione hujus Juri etiam in silva Miseracensi, quippe in qua eius Venator sæpissime venatus fuit. Hac Facti Specie posita,

QUÆSTIO I.

Utrum Regalia, quæ conceduntur S. R. I. Principibus, præjudicent Collegio Bruntrutano, circa Jus venandi, quod præsentis in Miseracense sua silva, ita, ut istud Princeps, & Episcopus Basileensis districtorum Regalium Jure sibi vindicare, & Collegio abjudicare possit?

RESPONDETUR negativè. Nam 1. Inter DD. nondum est exploratum, an Jus venandi inter Regalia referendum sit. Negativam sanè amplectitur, & late propugnat

U2. Hunnius de Jur. venand. thes. 6. p. 10. tam.

si autem Regalibus annumerandum non est, nequit illud Celsissimus in prædicta silva sibi vindicare ex eo capite, quod ab Imperatore sint ei concessa Regalia, cum, supposita hac Sententiâ, Jus venandi sub appellatione Regalium neutiquam comprehendatur.

2. Esto (quod alii DD. contendunt) Regalibus Jus Venandi accensendum sit, eo quod in Investitura, in qua Regalia conferuntur, hujus quoque diserta mentio fiat per verba mit Waldern/ Wildbannen / und Jagden.

Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 18. num. 47. Kaufman. de Jur. Domin. & subdit. tr. 2. part. 1. tit. 1. n. 39. & 40.

Item esto, quod Investitura, Celsissimo ab Imperatore data, his verbis concepta sit, id tamen intelligendum est cum tacita Clauſula, Salvo Jure tertii, quam Clauſulam omnes hujusmodi concessiones implicite continent.

C. 6. de Rescript. l. nec avus. 4. C. de emancip. liber.

Cum Supremus etiam Princeps Jus tertio quæsitum per concessionem Privilegii alteri factam non præsumatur velle tollere, aut eadem derogare, nisi hoc exprimat.

Arg. c. licet. 12. de Offic. Ordin. c. extrarum. 5. de auth. & us. pall. & l. nec avus cit.

Imò per ejusmodi concessionem, nisi Reip. necessitas, aut utilitas istud exigat, præjudicare tertio quoad Jura isti quæsitâ nequit, quippe etiam ipsi bona Subditorum sint subiecta

jecta Jure Jurisdictionis duntaxat, non verò domini, & proprietatis. Et hinc tales concessiones, quæ in præjudicium notabile terri cedunt, & huic Jus quæsitum auferunt, vel diminuunt, sunt restringendæ, quantum proprietas verborum patitur.

Abb. in c. certificari. 9. de sepultur. n. 9.
Sanch. l. 8. de Matrim. D. 7. n. 6. Suar.
l. 8. de LL. c. 27. n. 9. & c. 28. n. 10.
Laym. l. 1. tract. 4. c. 23. n. 6. Palao
tr. 3. D. 4. p. 10. n. 8. Haunold, tom.
1. de J. & J. tract. 1. n. 203. palsim-
que alii.

Quare si constet, quòd Collegium Bruntrutanum hætenus fuerit in quietâ Possessione Juris venandi in silva Prædii sui Miseracensis, in hac manutendendum est, non obstante Jure Regalium, per Investituram Principi concessio, & in his comprehensio Jure venandi, quippe quod ratione Clausulæ supra memoratæ se non extendit ad ea loca, ubi Jus venandi alteri competit. Neque obstat, quòd Jus Regalium, & in hoc Jus venandi ordinariè solum competit Statibus Imperii, in quorum numero non est Collegium Bruntrutanum; nam

3. Regalia, saltem minora, habere etiam Mediatu postunt, ut cum aliis monet.

Dominus Baro Linckem ad Schryeder.
Jur. publ. part. special. sect. 1. c. 4. §. 2.
in fin.

Imò specificè loquendo de Jure venandi, & piscandi; hoc Jus competere potest non tantum Civitatibus municipalibus, & aliis Communitatibus Mediatu, sed etiam Privatis.

Ferd. Christoph. Harpprecht de Venat.
Precar. thes. 14. Seckendorff Teutschen
Fürsten Stand p. 3. Regal. 5. §. 4.
pag. 406. ibi, Edel-Leurhen / und
wohl Burgern in Städren ic.

Certe plura extant Monasteria, & Nobilium Dynastia, quæ Jus istud habent, neque contradictionem ullam circa hoc à suo Principe patiuntur, licet aliqua ex illis non pluribus, alia paucioribus, quàm Collegium Bruntrutanum, quædam etiam nullis Documentis, sed solâ Possessione, vel quasi longissimi, aut immemorialis temporis circa Jus istud munita sint. Exemplo sit Collegium Societatis Ingolstadtense, quòd in quibusdam silvis ad Almonium, licet aliqua ex his quoad dominium, & proprietatem ad Principem, & Electorem Bavarie spectent, non obstante Jure Regalium huic competente, per Venatores suos Venationem etiam Majorem (die Hohe Jagdbarkeit) privativè ad ipsum Principem exercet, nec tamen quoad hoc Jus Literas, vel Concessionem specialem, sed Instrumentum duntaxat Emptionis Venditionis Castrorum Randeck, & Brun, quibus ab antiquo Jus istud annexum fuit, monstrare potest. Quare, si etiam Collegium Bruntrutanum per Documenta authentica probare possit, quòd Jus venandi olim competierit Prioratui Miseracensi, autori-

tate Pontificia ad se translato, illudque ipsum Collegium usque ad tempus motæ controversiæ, sine ulla contradictione continuaverit, censetur habere intentionem fundatam super hoc Jure, nec amplius poterit etiam ab ipso Principe Episcopo circa illud inquietari, Superest ergo

QUESTIO II.

An revera Collegium Societatis Bruntrutanum habeas Intentionem fundatam super Jure venandi in silva Prædii sui Miseracensis?

RESPONDETUR affirmativè; Nam ad demonstrandum hoc suum Jus exhibet 1. Bullam Pontificiam, relata in Facti Specie Num. 1. ex qua docet, Prioratum Miseracensem sibi autoritate Pontificia fuisse incorporatum cum omnibus Juribus, & pertinentiis eidem annexis. 2. Ex Recognitione jussu Celsissimi Episcopi tum existentis Anno 1470. factâ, & relatâ allegato Num. 1. probat, quòd Monticulus Miseracensis quoad Dominium Altum, & Bassum olim pertinuerit ad Priorem loci unâ cum Jure venandi, & lignandi, ita quidem, ut omnis Venator, vel Lignifeca, in illo deprehensus, ab isto multari potuerit: quod in Instrumento desuper per Notarium publicum erecto confirmant testes adhibiti, ex quorum assertione patet, Jus istud fuisse jam tum semper exercitum à Prioribus loci tanto tempore, quod excedat memoriam hominum. 3. Hoc ipsum roboratur per duas alias Recognitiones, Anno 1597. & 1656. factas, & relatas Num. 2. ubi idem Jus, & potestas puniendi illos, qui in silva Miseracensi venantur, aut ligna cadunt; disertis verbis asseritur Priori, & Possessoribus loci Misere. 4. His Recognitionibus acquieverunt omnes Prædecessores Principes Episcopi, & hinc, ut notorietas facti habet, usque ad tempus motæ Controversiæ, Collegium, absque ulla contradictione exercuit per suum Villicum, & alios subordinatos Jus istud, tanquam sibi proprium, ut adeo constet de Possessione immemoriali.

Ex his porrò sequentia deducuntur Argumenta. 1. Ex Bulla Pontificia constat, quòd Prioratus Miseracensis cum omnibus Juribus, & pertinentiis sit incorporatus Collegio; inter Jura autem, & pertinentias, ad Prioratum istum spectantes, numerabatur Jus venandi, ut patet ex Instrumento publico, in Recognitione Anno 1470. erecto. Ergo idem Jus per Incorporationem legitime celebratam ad dictum Collegium transiit. Estque hæc probatio, nisi ostendatur vitium in Instrumento, Probatio probata istius Juris, ita, ut alia probatione opus non sit; nam Instrumentum publicum, confectum à Notario jurato in forma debita, ob

9.

IO

II

Adem hujus specialiter approbatam, se solo, & sine alio adminiculo facit plenam fidem de iis, quæ dispositivè continet, & hoc tamdiu, quamdiu non probatur contrarium.

Abb. in *c. scripta. 2. de fid. Instrum.*
Durand. *specul. tit. de Instrum. edit. f. 8. n. 1.* Hiltrop. *p. 3. tit. 10. §. quam fid. fac. Instrum. n. 1. & 14.* Wefenbec. *ad ff. tit. de fid. Instrum. n. 6.* Et colligitur ex *c. si scripturam. 1. & c. scripta. 2. dist. tit. l. in exercendis. 15. C. eod. l. cum precibus. 18. C. de Probat.*

12.

2. Confessio oris proprii est optima probatio, ita ut Actor quoad illa, quoad quæ Reum fatentem habet, probatione aliâ non indigeat. Atqui talis confessionis vim respectu Prædecessorum Principum Episcoporum habent relatæ Recognitiones, utpote factæ ad mandatum illorum; nam in his fatentur diserte, quod in Silva Quæstionis Priori Miseracensi competierit ab antiquissimo, & immemoriali tempore Jus venandi, consequenter nunc etiam competat Collegio Societatis, utpote ad quod per Incorporationem, autoritate Pontificia celebratam, transferunt omnia Prioratus incorporati Jura: ut adeo nec specialibus Literis, nec aliis Documentis opus sit ad demonstrandum, quod dictum Jus ab Imperatore privativè, vel cumulativè Collegio concessum sit. Possuntque Recognitiones istæ, utpote de mandato Principum Episcoporum factæ, & pro legitimis semper antehac habitæ, meritò æstimari pro Confessione Judiciali, cujus ea vis est, ut plenissimam probationem inducat, & infringat omnes alias probationes, factas per testes, vel Instrumenta in favorem contentis contrarium.

C. si diligenti. 17. de præscript. c. dilectus. 2. de Capell. Monach. l. Confessus. 1. ff. & l. un. C. de Confess. Rota Rom. in Novis. p. 3. decis. 758. num. 2. & decis. 193. n. 12. p. 4. tom. 1. decis. 157. in fin.

13.

Et esto, quod habenda esset tantum pro Confessione Extrajudiciali, nihilominus tamen inde probatio plena exurgeret, quippe cum sit Confessio discreta, h. e. adjectâ causâ specialiter expressâ, insuper in scriptis facta, & per testes, Instrumento publico desuper erecto inscriptos, probata: cujusmodi Confessio, etiam Extrajudicialis, plenè probat.

ut habetur *c. si cautio. 14. de fid. Instrum. l. generaliter. 13. C. de non num. pecun.*

14.

3. Saltem constat de Possessione immemoriali usque ad tempus motæ controversiæ, à Collegio, & hujus Prædecessoribus circa hoc Jus absque ulla contradictione semper continuatâ, ut adeo hæc sola Possessio sufficiat ad probandam hujus Juris præscriptionem. Neque contra præscriptionem objici potest incapacitas ad Jus istud possidendum sine expressâ Imperatoris concessione ex parte Collegii; nam etiam ea, quæ non in Recognitionem supremæ Jurisdictionis, & Domini, sed in signum duntaxat spe-

cialis Dignitatis, & Privilegii reservantur Principi (quale est Jus venandi) per inferiorum acquiri possunt Præscriptione 40. annorum cum titulo, sine titulo tempore immemoriali,

L. si Publicanus. 4. §. in omnibus. 2. ff. de Publican. Abb. in c. ad audientiam. 13. n. 18. de Præscript. Less. l. 2. de f. & f. c. 6. n. 41. Pirhing ad tit. de Præscript. n. 20. König ibid. n. 19. cum aliis.

Quoad ostensionem tituli distinguendum est inter Regalia, quæ semper talia fuerunt, & inter illa, quæ successu temporis talia facta sunt, quò Jus venandi referri debet. Possessionem Regalium prioris generis Jus commune resistit, & ideo Possessor adversus Principem non aliter in sua Possessione manutenendus est, quàm si vel ostendat titulum, vel Possessionem temporis immemorialis probet.

Arg. c. 1. de Præscript. in 6. Regalium autem posterioris generis Possessionem Jus commune non resistit, sed ei laevet, quippe quò omnibus venari permissum est: ac proinde in hac Regalium specie tantum temporis spatium non requiritur, sed sufficit tempus 40. annorum, quippe quo tempore contra Filcum compleri Præscriptionem constat.

ex l. omnes. 4. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.

adeo, ut necesse non sit aliquem titulum allegare, vel probare, cum lapsu tantum temporis titulus præsumatur.

L. 4. cit. & c. ad aures. 6. de Præscript. Stryck. in Corp. Jur. Venat. Forest. conf. 48.

quod confirmatur autoritate integrarum, & omnium serè per Germaniam Facultatum Juridicarum, à quibus uno ore asseritur, Jus venandi, utpote quod ad Regalia minora referunt, Possessione saltem immemoriali acquiri, tamen titulus nullus ostendi possit, adeo, ut inferior etiam adversus Principem in sua Possessione defendi, ac manentem debeat, prout ex pluribus decisionibus, Consultationibus, ac Responsis apud laudatum Stryck. tract. cit. patet. Multo igitur magis in Possessione sua immemoriali, quam tot titulis suffultam habet, manutenendum erit Collegium.

QUESTIO III.

Utrum Possessio Collegii asserta huic prodest ad revinendum Jus venandi etiam privativè ad Principem Episcopum?

RESPONDETUR affirmative. Nam 1. Ratio dubitandi, quæ fieri hic potest ex eo, quod

juxta Stryck. *Uf. Modern. ff. ad tit. de Jurisdic. §. 27. fin. & §. seq. Mevium p. 1. dicit,*

1. *decif. 44. n. 6.* Item *decif. 102. n. 1.* & alios passim,

Possessio inferiori in Regalibus adversus Principem non profit, nisi simul ostendatur Titulus, hæc, inquam, Ratio dubitandi Solutionem suam jam habet ex *Num. præced.* ubi ostensum est, Doctrinam istam solum procedere in Regalibus majoribus, & quæ semper fuerunt talia, non verò in minoribus, & iis, quæ successu temporis talia effecta sunt: ut proinde Possessio Juris Venandi in Loco Quæstionis, si etiam per 40. duntaxat annos, absque contradictione fuisset continuata, Collegio Societatis ad Principem à Jure Cumulativo venandi in eo loco excludendum prodesset, etiamsi Titulum Possessionis suæ demonstrare non posset, Imò

16. 2. Non deest Collegio Titulus justus, & manifestus, ut patet ex Recognitione facta Anno 1470. ubi ex Testium Depositione asseritur, quòd Jus Venandi æque, ac lignandi Priori, & Monticuli Miseracensis Possessoribus unà cum Dominio non solum *Basso*, sed etiam *NB. Alto* (cum quo vix stare potest Regale prætensum Principis) competierit, ita ut omnis Venator, vel Lignifeca, in illo deprehensus, teneretur ad Multam, eaque integra pertineret ad Priorem Miseracensem, vel dicti Loci Miseræ Possessorem, & non ad alium; si enim omnis Venator, in Silva Miseracensi deprehensus, teneretur ad multam, & hæc multa ex integro pertinet ad solum Possessorem Prædii Miseracensis, clarum omnino est, quòd nulli alteri, atque adeò nec Principi vi Regalium competat Jus Venandi ibidem, sed soli Silvæ Possessori privativè ad quoscunque. Præterea

17. 3. Etsi deesset Titulus alius, Possessio tamen immemorialis, in qua Collegium, & præcedentes Prioratus istius Possessores innegabiliter hæcenus fuerunt, esset loco Tituli, ac instar Privilegii, & Concessionis factæ à Principe.

C. super quibusdam. 26. §. præterea, & ibi *Gloss. V. non extat. de V. S.*

Adeò, ut tempore immemoriali indispensabiliter acquiri possint omnia Regalia sine omni alio Titulo,

ut in terminis respondet *Stryck. in Corp. Jur. Venat. Forest. conf. 37. n. 63.*

Neque ad hoc probandum, præter hujusmodi Possessionem Prædii, & Silvæ illi annexæ cum Jure Venationis in illa exercendæ, opus sit ullis aliis Documentis, quibus probetur Jus istud soli Possessori illius competere. Proinde allegans talem Possessionem, & Præscriptionem immemoriam non tenetur allegare alium Titulum: sique alleget, id plerumque ipsi non obest, licet probare allegata non possit; quia ex adjuncta Possessione diuturna Præsumptionem, & Corroborationem accipit.

Layman. l. 3. Theol. Mor. tract. 1. c. 8. n. 15.

Deinde esto, quòd nec Titulus, nec Possessio immemorialis planè probetur in Casu nostro (cujus tamen contrarium ex hæcenus deductis patet) hoc tamen non obstaret; quia

4. Hic agitur de Possessione manutenenda. Ut autem in Possessione Regalium adversus Principem aliquis manutenendus sit, plus non requiritur, quam ut ostendat, hæcenus bonâ fide se possedisse, hujusque Possessionis suæ Titulum aliquo modo, licet non plene ostendat; nam probatio Tituli, & justificatio Possessionis ex hoc desumpta ad Petitorium pertinet.

Stryck. Us. modern. Pandect. ad tit. de Jurisdict. §. 28. & ibi *Textor dissert. de Possess. Jurisdict. thes. 16.*

Hoc autem juxta hæcenus deducta plus quam abundanter, fecit Collegium. Ergo &c, Proinde

5. Quæstio præsens per sequens Dilemma concludi potest. Vel enim Regale Venationum, Principi Episcopo ab Imperatore in Investitura concessum, se nunquam extendit ad Silvam Quæstionis, ita, ut semper fuerit apud Prioratum Miseracensem privativè ad omnes alios; vel aliquando Regale hoc ad Silvam istam se extendit, & per Possessionem, & Præscriptionem immemoriam extinctum est. Utroque modo in Possessione hujus Juris defendi debet Collegium; nam si primum sit, Jus, quod Antecessoribus Principis nunquam competit, vindicare sibi iste non potest. Si secundum, Jus legitime extinctum eo modo se habet, ac si nunquam fuisset habitum: consequenter, utrum ex his dicatur, Jus Venandi in hoc Prædio, & Silvâ ei annexâ privativè Collegio competet, adeò, ut ne cumulativè quidem Venationem ibi exercendi Jus prætereendere possit Princeps vi suorum Regalium. Neque obstat, quòd, ut *Num. 6.* objectum est, Venator Principis in Silva Miseracensi sæpius venatus sit, adeoque Princeps videatur existere in Possessione istius Juris saltem cumulativè cum Collegio; nam

6. Vel actus Venationis Principis Venator in Silva Quæstionis exercuit in scio Collegio, vel isto conscio, & si istud, vel interposita ab eodem in contrarium est Protestatio, vel indultum hoc tantum ab eo est ex Reverentia erga Principem, adeoque per actum meræ Facultatis. Si in scio Collegio, cum Jura Collegii fuerint notoria ex Possessione immemoriali, Venator fuit invasor alienæ Possessionis, & Collegium mansit in Possessione Civili, quâ stante, Præscriptio inchoari non potest,

ut notat *Abb. in c. 5. de præscript. n. 4.*

Laym. l. 3. tract. 1. c. 8. n. 5. Palao *tract.*

13. D. un. p. 22. §. 4. n. 3. cum aliis.

Si verò hoc factum sciente quidem, sed contra

18.

19.

20.

trā protestante Collegio, Possessio, & Jus suum eidem mansit intactum, quippe quod conservat Protestatio interposita, præsertim contra Actum violentum, qui aliam Possessionem non tribuit, nisi naturalem duntaxat, cum qua sola inchoari præscriptio nequit.

Ferdin. Vasq. l. 2. *Contr. Jur. c. 57. n. 6.*

Si denique Venatori huic solum indulta est Venatio ob reverentiam Principis, reservato sibi Jure integro, adeoque actus fuit meræ facultatis, cum ejusmodi actus non sint idonei ad Præscriptionem inchoandam, iterum per hoc Collegio nihil Juris decessit; quia opinione Domini, vel quasi non potest possideri, quod conceditur, vel permittitur per meram Reverentiam erga Principem: ut adeo Collegium habeat intentionem fundatam etiam contra Principem Episcopum, & privatim ad istum; consequenter gravamen passum sit per Sententiam, quæ multatus est ipsius Villicus ab Officialibus Principis propter Venationem exercitam in Silva Miseracensi.

QUÆSTIO IV.

An Collegium Bruntrutanium in hac Causa Juris Venandi Forum Consilii Aulici Principis, & Episcopi Basileensis declinare, & super Gravamine, circa hoc Jus sibi illato, ad aliud superius Tribunal, & quale illud appellare possit?

21. **E**X utraque parte est Difficultas, ut patet ex dictis Num. 5. & 6. Si relinquamus, ut aliàs fieri solet, Causam hanc decidendam Consilio Aulico Principis, præsentissimum periculum est Sententiæ ferendæ contra Collegium: si appellemus ad Tribunal superius, minæ nobis sunt de incurrenda gravissimâ offensâ Principis, ex qua oritura fortassis sunt damna multò graviora, quàm sit jactura Juris, quod hæctenus Collegio parum omnino Emolumenti atulit.

22. Puto ante omnia tentandos Dominorum Consiliariorum animos, & instruendos de Jure nostro, fortassis ostendendo etiam Responsa super Casu proposito data, sique ex his lectis penetrent Justitiam Causæ nostræ, eos rogandos, ut de iisdem etiam informant Celsissimum, qui sic informatus haud dubiè relinquet Consiliariis his suis libertatem omnem, ut Causam istam decidant secundum Leges Justitiæ, & æquitatis. Proinde hoc modo periculum non erit aut ex parte Principis de istius offensâ, aut ex parte Consiliariorum ipsius, ne cum præjudicio Collegii inclinent pro Interesse Principis, quippe de quibus præsumi non potest, quod agnita Justitiâ Causæ, quæ stat pro Collegio, exiguum hoc Principis Interesse anteponeere velint Conscientiæ suæ, præsertim in Casu, si

ipse Princeps desideret Causam decidi ad Leges Justitiæ.

Quodsi verb post plenam Informationem Dominis Consiliariis datam (quod non spero) isti stent firmi pro Prætensione Principis contra Collegium, tum ad parcendum magnis expensis, quas oporteret fieri, si provocaretur ad aliquod Tribunal superius, tum ad evitandam offensam Principis, cui variæ viæ, & occasiones vexandi, premendique Collegium non desunt, fortasse magis expediet, super hoc Jure, quippe adeo sterili, compromittere in Arbitros indifferentes, & rerum intelligentes, ex quibus unum eligat Princeps, alter addatur ab ipso Collegio. Quia verò Compromissum in Arbitros eum effectum habet, ut eorum Laudo, seu Pronuntiato regulariter Partes cogantur stare, si æquum illud, sive iniquum sit,

L. diem. 27. §. stari. 2. ff. de recept. Arbitr.

nec appellari ab ipso possit,

L. ex sententia. 1. C. eod.

Idcirco, antequam tale Compromissum fiat, sollicitè considerandum, quibus Personis Negotium hoc arbitriò suo decidendum committatur, ne, si fortè pronuntiarent contra Collegium, hujus Causa ponatur in statu, remedium ulterius non recepturo. Hinc

Ne unius, aut duorum arbitrio tota committatur alea Causæ, & ut aliquo modo satisfiat Celsissimo, nisi efficacissimæ Rationes in contrarium pugnent, judico adhuc arripendum Remedium Num. 22. positum, & provocandum ad Consilium Aulicum Principis cum Informatione plena de Collegii Jure: quod Consilium si contra istud pronuntiet, tum demum appellandum ad Judicem Superiorem, nimirum vel Ecclesiasticum, puta Metropolitanum, aut Summum Pontificem (ut de Jure Communi deberet fieri) vel Wezlarium ad Cameram Imperialem, aut Viennam ad Consilium Imperiale Aulicum: in quo utroque Tribunali Supremo Cæsaris non tantum spes, sed certitudo videtur adesse victoriæ, & absque difficultate impetrabitur Mandatum restitutorium sine Clausula, quippe cum Factum istud nullo Jure justificabile sit.

Poterit autem in hac Causa intentari vel Possessorium, vel Petitorium. Si Possessorium intentetur, illud erit Interdictum, vel recuperandæ Possessionis, si hanc per actus à parte adversa exercitos amisit Collegium; vel ejus retinendæ, si tantum turbatum in illa fuit, non verò eam amisit. Si Petitorium, locum habebit Actio vel Confessoria utilis, quæ Collegium asserat, sibi competere Jus Venandi in Silva hac sua, tum ex Fundatione antiqua, seu Donatione, tum etiam, si Tituli isti non sufficerent, aut eliderentur, ex Præscriptione immemoriali; vel Negatoria utilis, quæ negetur, Jus istud in dicta Silva habere Principem; vel utraque simul, quæ asseratur Collegio soli Jus istud

Responde-
tur ad ra-
tiones du-
bitandi,

23
Istud competere privativè respectu omnium aliorum. Utiliter etiam cumulatibit Possessorium cum Petitorio: quod fieri potest per Textus;

C. cum super. 4. & c. seq. de Caus. possess. & propriet. Junct. l. naturaliter. 12. ff. de acquir. vel amitt. possess.

cujus Cumulationis is erit Fructus, ut si Collegium deficiat in Possessorio, prolequi in eadem Instantia valeat Petitorium.

26. Antequam autem ad Tribunal tale Supremum provocetur, sollicitè perpendendum est, an mala, & vexationes, quarum minima ob natam inde Offensam Principis Collegio sunt, sint futura incomparabiliter majora, quam sit futura jactura habitus Juris; si enim hoc esset, expedire videtur, si antequam litigare incipiamus, insinuare tur Principi, quod Collegium quidem de Jure suo privativè venandi in hac Silva non dubitet, nihilominus ex singulari Devotione, & Reverentia erga ipsius Personam ad vitam Ejusdem, vel si aliter componi non possit res, in perpetuum expectato tamen circa hoc Superiorum Consensu, liberè, & gratis cedere illi velit hoc Jus, salvo tamen in perpetuum Jure lignandi, cum Dominio Alto, & Basso in dicta Silva. Neque videntur hoc modo periclitari Jura sic reservata: idque 1. Quia Rationes, à Principe in ordine ad Jus venandi allatæ, non pugnant pro Jure lignandi, quippe quod inter Regalia Principum non connumeratur. 2. Quia unum per se, & necessariò non trahit alterum. 3. Quia Jus minus utile facilius præsumitur, gratis cedi, aut dimitti, quam Jus magis utile, aut ipsum Dominium. 4. Quia expressa Reservatio cæterorum Jurium excludit omnem Actionem de istis olim à Principe vindicandis.

27. Si autem fieret ejusmodi Cessio, necessariùm foret hanc redigi in Scripturam authenticam ad perpetuam rei memoriam, nec omittendæ in hac essent Limitationes, & Clausulæ, quibus permittatur Exercitium Juris Lignandi liberum; nam aliquando Principes, qui Jus venandi in aliquo loco habent, Jus Lignandi alteri competens ita restringunt, ut sine eorum Consensu nec arborem quidem sub prætextu, ne feta turbentur, succidere permissum sit: adeoque usum istius Juris admodum difficilem reddunt, si non inutilem. Similis cautela adhibenda esset circa Jus pascendi in illa Silva eadem ex causa, & ratione. Hinc expresse inferendum esset Instrumento Cessionis, competitura post Cessionem hæc lignandi, pascendi, & alia Jura liberrimè, prout antea competeabant, Collegio, ita, ut nullis securis temporibus ob Jus venandi, cessum Principi, restringi, & limitari ullâ ratione possint. Ex his patet Responso ad Fundamenta contraria Num. 6. contra Collegium allata.

28. Ad. 1. Constat ex dictis ad Questionem 1. R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 4.

Jus venandi vel non esse connumerandum Regalibus Principis, vel si in horum numero censendum sit, non esse tale, quod non possit competere etiam Monasteriis, & aliis Communitatibus, imò & Privatis: & viam Jus istud obtinendi non esse duntaxat Concessionem Imperatoris, sed etiam exercitium illius per tempus immemoriale bona fide, & absque contradictione continuatum; hoc enim modo censetur obtentum beneficio Præscriptionis. Ad 2. Hoc Jus Incorporatione suâ Pontifex non dedit, sed Prioratui Miseracensi jam antea à tempore immemoriali, ut ex Num. 10. patet, competens solum transiit in Collegium: quæ Translatio non excedit Potestatem Pontificis, quippe cum Bona, & Jura Ecclesiis, & Monasteriis competentia, sequantur Personam, vel Communitatem, cui illa competunt, consequenter Ecclesiastica, atque ita à Jurisdictione Sæculari excepta efficiantur. Ut adeò opus non fuerit nova Imperatoris concessione, cum Prioratus Miseracensis ad Collegium Bruntrutanum transiit. Ad 3. Contra Venationem à Venatore Principis exercitam jam ante annos duodecim Protestationem opposuit Collegium, supplici Libello oblato Principi Episcopo, qui, licet suppressus sit, præservavit tamen per Protestationem in eo propositam, Jus Venandi Collegio, quod istud in Jure, & Documentis suis fundatum juxta dicta ad Questionem 2. habet: consequenter Princeps non est in Possessione legitimâ istius Juris: & si esset, solum esset in Possessione Jus istud exercendi cumulativè cum Collegio, quippe quod postquam sæpius indagatum fuit, penes quem illud sit, semper inventum est esse penes Collegium, prout etiam docent Argumenta allata pro Resolutione Questionis 3. cit.

29. Quod eodem Num. 6. dicitur, Jus hoc venandi Collegio parùm Emolumentum afferre, quippe cum totus Proventus annuus, ex illo redundans in Collegium, ad decem Libras vix ascendat, ad summum probat, quod Collegium possit Emolumentum istud in gratiam Principis negligere, & permittere, salvo tamen toto Jure suo, ut Ille Venationem per se, vel suos exerceat in Silva Questionis. Si tamen Celsissimum Jus ibi venandi, tanquam de Jure sibi competens, petat, non adeò facile condescendi eidem à Collegio potest, cum penes istud, & Rectorem illius non sit cedere Jure, quod ex Documentis Authenticis, & ipsa immemorabili Præscriptione eidem Collegio proprium est; nam, ut Ministri Principis hujus Interesse, ita Rector Jura Collegii facta testata servare sub gravi tenetur. Unde inique ferre Princeps non potest, si differatur ad ejus petitum Consensus, donec habeatur Approbatio ab iis, penes quos est istam dare, aut, Approbatione non secuta, ad altius Tribunal provocetur. Princeps ipsemet ex Documentis, quæ Collegium affert, agnoscit, eidem

D d d d

eidem

eidem Collegio competere Jus Piscandi, Li-
gnandi &c. Igitur, cum eadem Documenta
stent etiam pro Jure venandi, tanquam ei-
dem Collegio proprio, etiam istud agno-
scere debet ex dicti Collegii parte consistere.

30.

Contra comminatam autem offensam
incursum non sit, Præsumptionem fortis-
simam facit Eiusdem Æquitas, quæ procul
arceat suspicionem hujusmodi offensæ incur-
rendæ ob Appellationem interpositam;
nam Appellatio est species quædam Defen-
sionis justæ, & naturali Jure concessæ;

L. appellandi. 1. princ. ff. de Appell. & Rel.
proinde non facit injuriam iudicis; qui ab
ejus Sententiâ ad altius Tribunal provocat,
L. & in majoribus. 20. C. eod.

non potest autem sine injuria Principis cre-
di, aut etiam timeri, quod pro offensâ, &
injuriam accepturus sit id, quod sine injuria
feri Leges decernunt, præsertim cum con-
stet, quod Collegium Bruntrutanum non
querat plus juris, quam quantum sibi com-
petere probaturum est, & si tantum Juris
non habeat, plus non prætendat. Certè
alii Judices offensæ occasionem inde non
accipiunt, si contra Sententias illorum ap-
pellerent, spe freti, si justa, & Legibus con-
formis Sententiâ ab ipsis prolata sit, ean-
dem etiam à Judice Appellationis confirma-
tum iri. Hæc ergo fiducia à Collegio, si ali-
quæ res nequeat, sine offensâ
metu ad Superius Tribunal ap-
pellari poterit.

CONSILIUM LIV.

Den gewöhnlichen Verzicht der Adlichen Töchtern bis auf einen ledigen Anfall betreffend.

SUMMARIUM.

1. 2. Facti Species.
3. 4. Eruntur Dubia discutienda.
5. Renuntiatio Filiarum Illustrum, quamvis non ab omnibus probetur.
6. Est tamen ubique recepta.
7. Et quidem iustis de causis:
8. Adeoque valida.
9. Consuetudo derogat Juri scripto.
10. Valide renuntiat Soror in favorem Fratris, etiam inficio Patre.
11. Renuntiatio Hæreditatis Paterna uni Fra- tri facta prodest omnibus reliquis.
12. Filia Illustris tenentur renuntiare, ubi Sta- tuta hoc exigunt, ut in Bavaria.
13. Alibi cogi non possunt, uti in Suevia & Fran- conia.
14. Nisi derur Consuetudo vim Legis habens:
15. 16. Quam tamen vim non habet omnis Con- suetudo.
17. Solemnitates in ejusmodi Renuntiationibus adhiberi solita demonstrant, eas esse liberas.
18. Qui ad Matrimonium habilis est, est etiam habilis ad renuntiandum Hæreditati Pa- terna.
19. Etiam Filii nonnunquam renuntiant:
20. Etiam Minorenes, saltem cum Jura- mento.
21. 22. Ut Filia validè renuntiet, debet certio- rari de præjudicio inde sibi emergente.
23. 24. Debet etiam dotari:
25. Et Dos quidem deberet aquare Legitimam:
26. Quamvis ex Consuetudine aliud observe- tur.
27. Si Dos data non sit, salva manet illius Petitio.
28. Renuntiatio debet esse jurata, nisi Statuta, vel Consuetudine aliud introducat.
29. &c. Ad Juramentum non sufficit qualiscun- que Præstatio Fidei sua Nobilis, Principa- lis &c.
32. Renuntiatio, ut effectum habeat, non de- bet solum promitti, sed actualiter fieri:
33. 34. Juxta aliquos sufficit etiam Promissio de Renuntiatione faciendâ.
35. 36. Filia non debent induci Dolo, aut Metu ad renuntiandum, sed sponte id præstare.
37. Si Filia sit minorennis, requiritur Dete- tum Judicis:
38. Vel saltem ex Consuetudine præsentia Ag- natorum, & Cognatorum:
39. Solet etiam interesse novus Maritus, Ne- tarius &c.
40. Renuntiare potest Bonis præsentibus & fu- turis, mobilibus, & immobilibus &c.
41. Paternis & Maternis, ac etiam Fratris.
42. Filia, qua renuntiavit solum Bonis Pater- nis, non excluditur à Successione in Bonis Fratris, licet hæc potissimum proveniant à Patre.
43. seqq. Filia renuntians Bonis Paternis, an censetur etiam renuntiare Feudo, cujus Fe- mina capax est?
46. Idem de Fideicommissio.
47. Verba Renuntiationis auf einen ledigen Anfall